





Bra. 23. num. 32.

7

1765

4

LOCO

SPECIMINIS INAUGURALIS IURIDICI  
MEDITATIONES:

DE

CESSIONE LEGALI,  
EAMQUE IN CONCURSU  
CREDITORVM PROBANDI  
RATIONE:

SVMMO NUMINE CLEMENTISSIME ANNVENTE:  
EX. DECRETO AMPLISSIMI IURECONSULTORVM  
ORDINIS

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA  
QVAE BVETZOVII FLORET:

PRAESIDE

HERMANNO BECKER

LL. D. ET P. P. O. AD H. A. PRODECANO ET BRAEVTA:

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE CAPESSENDI HONORES  
ACADEMICOS:

ANNO MDCCLXV. DIE XVI. APRIL.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM PLACIDO EXAMINI  
DEFENDENDAS SVBMITTIT

IOACHIM HINRICH SPALDING,

GVSTROV. MECKLENB. IVR. VTR. CAND.

ET IN DICAST. AVL. QVOD GVSTROV. FLORET RECEPT. ADV. ORD.

BVETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

2487











Inter varios verbi: *cedere*: significatus, quos Quid ces-  
 copiose satis recenset Calvinus (1) pri- sto fit, in  
 mum is obtinet locum, vbi in legibus genere  
 pro translatione in alterum sumitur, sic- determi-  
 natur.  
 uti in L. 39. D. de seruit. praed. vrb. *seruitutem cedere*  
 dicitur: & in L. 10. D. de eui&. *cedere ius eundi agendi*: in  
 L. 15. D. comm. praedior. *iter actum cedere*. Qui tamen  
 significatus maxime vstatus inuenitur, quando de a-  
 ctionum translatione in alterum agitur, vti in L. 76. D.  
 de solut. L. 22. C. mand. L. 27. §. 1. D. de minorib. vbi dicitur,  
 quod in casu, quo minor iuueni egenti credide-  
 rit, vterius procedendum non sit, quam vt iubeatur  
 iuuenis *actionibus suis*, quas habet aduersus eum, cui  
 ipse credidisset, *cedere creditori suo*: qui modus loquen-  
 di stylo grammatico magis conueniens esse videtur.

A

Qua

(1) in Lex. iurid. voce: *cedere*.



Qua ex ratione summo iure cessionem definit Nettelbladt (2) per translationem iuris exigendi id, quod alter nobis debet de suo, in tertium ita factam, ut suo nomine exigere possit. Et Schaumburgius (3) per translationem actionis in alterum, ut eam sibi habeat cum omni causa. Quibus ex notionibus facili colligitur negotio, cessionem esse alienationis speciem, & hinc tam ratione subiecti, quam ratione obiecti, quam modi, regulas in alienatione obseruandas ad cessionem quoque, ut legitime fiat, applicandas esse, nec cessionem ineundi, aut sibi acquirendi facultatem denegari posse ei, qui alienationem inire, aut per eam acquirere valet. (4) \*) immo quamuis actionem alteri cedi posse, nisi lege eximatur, de qua materia copiose agit Stryck. (5) Non ignoro quidem, me hac in re a communi DD. schola quodammodo decedere, qui hac in quaestione regulam formare student sequenti modo: *Quodcumque ad heredes non est transmissibile, illud nec est cessibile.* (6) Quae tamen propositio, cum neque negatiue sumpta sit vniuersaliter vera, neque in adfirmatiuam rite mutari possit, quoniam ususfructus nec ad heredes transit, nihilominus tamen cedi potest, L. 67. D. de usufruct. & ius retractus ad heredes quidem transit, non vero

(2) in system. element. vniu. iurisp. posit. T. 1. §. 190.

(3) in comp. pand. tit. de hered. vel act. vend. §. 4.

(4) conf Schnobel. diss. de cessione act. & iur. & pignor. Müller. diss. de cessione action.

(5) in diss. de iurib. & action. non cessibil.

(6) conf Brunnem. de cess. act. cap. 4. n. 21. sequ. Lentz. de cess. act. cap. 19. m. 2.



vero alteri cedi potest, (7) non mihi videtur illi regulae inhaerendum esse, quippe quae & L. f. C. de hered. vel act. vend. contraria. (8) \*\*)

\*) De alienatione in sensu generaliori nobis sermonem esse, quilibet perspicit, quippe quae in genere dicitur amissio iuris voluntate amittentis facta. Alienatio enim in specie dicta, quia fit amittendo id, quod alter de suo nobis non debet, toto coelo differt a cessione.

\*\*) Et licet concedam in d. L. 67. non quidem de ipso usufructu, sed potius de iure percipiendi utilitates durante usufructu legatarii, sermonem esse, tamen & hoc ius vtendi non transit ad heredes.

## §. 2.

Iura nobis competentia vario modo, tam gra- Quae vel  
tis, quam pretio interueniente, in alterum quum trans- titulo lu-  
ferre possimus, oritur exinde diuisio in cessionem, cratiuo  
quae acquiritur vel titulo lucratiuo. L. 22. & 23. C. mand.  
vel titulo oneroso. L. 3. C. de hered. vel action. vend.  
L. 1. C. de nouat. Licita ergo quamuis per se sit dona- vel one-  
tio nominis, eatenus tamen interdicta & prohibita est, roso, an &  
vt pars iuris exigendi donetur, pars vero acceptis pec- quatenus  
cuniis, & venditione interueniente transferatur. fit.  
Totum potius debitum pure est donandum, ita vt & si-  
mulata donatio sit prohibita, ne vexandi debitoris gra-  
tia fiat cessio. Illa vero, quae fit per modum vendi-  
tionis, non valet, nisi actu interueniente, & reuera  
numerato iusto pretio, i. e. cum actione cessa aequa-  
li.

A 2

(7) Berlich. in concl. pract. P. 2. concl. 39.

(8) Lauterbach. colleg. theoret. pract. ad tit. de her. vel act. vend. §. 29.





litatem habente, ita vt Berlichius (1) & eas damnet  
 cessiones, vbi titulo permutationis pro nomine aliam  
 speciem dat cedens, cuius pretium non est nomini ae-  
 quiualens. Alias cessionis & lucretinae & onerosae  
 species prohibet lex Anastasiana & Iustiniana cit. LL.  
 22. & 23. C. mand. vi quarum emtor nihil magis a debi-  
 tore exigere potest, quam ipse persoluit venditori, li-  
 cet pro viliori pretio emerit, paucis solummodo casi-  
 bus specificè exceptis. Quae leges in fauorem debito-  
 rum constitutae sunt, quibus tam leges romanae, quam  
 germanicae, imprimis Rec. Imp. d. a. 1654. tantopere  
 consulere student. Contra hasce leges cessio nihilomi-  
 nus quodsi impingat, superfluum, quod Carpzovius (2)  
 & Mevius (3) fisco, alii vero cedenti tribuunt, (4) lu-  
 cro tamen potius debitoris cedere debet ex ipsa legis-  
 latoris sententia. (5) Suadet enim hoc non solum ae-  
 quitas naturalis, quae adlictum & per redemptionem  
 li-

(1) Decis. 32. n. 7.

(2) C. 5. Resp. 33. n. 35.

(3) Part. 3. Dec. 1. n. 4. 5. 6. qui tamen in discussion. leuam. in-  
 op. debit. cap. 1. n. 22. ipse sibi contrarius.

(4) Berlich. Dec. 35. Carpzov. in iurispr. for. P. 2. Const. 30. Def.  
 7. qui tamen iterum sibi ipsi contrarius, & in def. 35. prae-  
 iudicium adfert, meae sententiae consentaneum.

(5) Finckelth. obs. 17. Schilt. exercit. 30. §. 86. Cocceii in iur.  
 controu. tit. de hered. vel act. vend. qu. 27. vbi plures adhuc  
 consentientes larga manu adlegat, & simul dubia contra  
 hanc sententiam mouenda remouet, quo me refero, &  
 hoc vnicum addere solum maioris illustrationis causa vo-  
 lo, quod in poenis publicis legis sit designare delicta, abs-  
 que qua ergo nec delictum nec poena locum inueniat.



litium oppreffum debitorem, in quantum fieri potest, subleuare iubet, sed & argumentum ex L. 2. C. ne liceat potentior. quae creditorem *debiti iactura multari vult*, & ex Nou. 72. cap. 5. §. 1. quae cessionem actionis contra minorennem competentis in curatorem, aut eum, qui prius curam administravit, factam pro non facta declarat, & *lucrum adolescentis fieri disponit*, licet quoque cessio pro veris caussis facta sit, *non, ut remanet rursus ad eum, qui cessit*, tanquam si nihil quasi in medium contra legem visum fuerit actum, *sed cadat ab eis*, quae ex hoc sunt quaesita propter transgressionem legis, & *haec minorem lucrari*. Immo ipsa illa L. 23. §. 1. & 2. C. mand. neque ei, qui cessit actiones, quia vendit & transtulit suo facto, neque ei, qui eas suscipere curavit, quia ei obstat dispositio legis, *quid lucri fieri vel remanere iubet*, propter fauorem inopis debitoris, cuius fauor vnica huius legis ratio manet, *contra quem itaque, vel eius substantiam*, ex simulata donatione, nulla, ergo nec etiam a fisco, quia poenae a lege dependent, nec fingendae sunt, *oriri debet molestia*. Vt taceam, quod donec per legem probetur ius singulare, priuilegia & poenae fiscales non obtineant, sed potius per L. 10. D. de iur. fisci: in dubio contra fiscum pronuntiandum sit, qui potius, donec probetur exceptio, per L. 25. D. de pignor. & L. 12. D. de compens. priuatorum vtitur iure. Dolosum vero litium alienarum redemptorem, qui vel vindictae, vel vexandi causa actionem sibi cedendo oblatam suscipit, leges hasce adlegatas supponere quidem, & hinc cessionarium, qui bona fide pro minori pretio actionem sibi cessam acquisiuit, summo iure ex-

A 3

ge-





gere a debitore, per se non solum patebit, sed docent & hoc verba L. 22. C. cit. tam: *redemptores litium alienarum videri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt*: quam exceptiones in ipsa lege mox subiunctae casuum, in quibus, cessantem propter dolosam illam litium redemptionem, non obstante minori pretio, quo cessae actiones consecutae sint, tamen integrum exigendi debitum licentia datur. Interim tamen semper, minori pretio soluto, & simulata inita donatione, dolosa eiusmodi redemptio praesumitur, ita vt emtor tunc, aut donatarius iustam atque probabilem causam acquisitionis probare debeat. Id quod verba generalia legis iam adlegata docent: *nec enim dubium est, redemptores litium alienarum videri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt*. Addita simul ratione: *quod certum sit, pro indubitatis obligationibus eos magis, quibus antea suppetebant, iura sua vindicare, quam ad alios transferre velle*: Et verba L. 23. §. 4. C. ad l. adhuc magis probant, quod ratio extensionis legis Anastasiana ad cessionem per simulatas donationes peractam quaerenda maneat, *in astutia hominum, qua legem Anastasianam lacerandam esse existimabant*. (6) Ac licet coeteroquin Stryckius (7) & cum eo faciens Lentze (8) ibique ulterius adl. defendere satagant, rationem legis cessare in debitis certis & liquidis, hinc debita eiusmodi pro qualicunque, & pro minori pretio, valide cedi posse, tamen & in de-

(6) Conf. Cocceii. l. c. qu. 26. in f. ibique cit. Brunnem. ad L. 22. C. mand.

(7) in tr. de cautel. contr. S. 4. cap. 2. §. 13.

(8) l. c. cap. 25. n. 4.



debitis certis, i. e. talibus, quae ratione fundamenti, quantitatis, & temporis solutionis in dubium vocari nequeunt, quia maius forsitan ex illis, quam in illiquidis atque incertis, per cupidinem vindictae & vexationem cessionarii se obrudentis, imminere potest periculum debitori infortunio impedito, & qui sub hoc praetextu, non obstante beneficio legis contra redemptores alienarum litium sibi concesso, angere & opprimi potest, rationem legis eo minus cum Brunnemanno (9) cessantem agnosco, dum leges, ad euitandas eo magis omnes similitates occultas, generaliter omnes cessiones pro minori pretio factas, paucis casibus specificae atque expresse exceptis damnant, ea autem legis generalis semper manet qualitas, ut ad certum quendam casum singularem restringenda non sit.

## §. 3.

Alia cessionis iurium tam, quam in specie actionum, occurrit diuisio in voluntariam & necessariam. Illa partium conuentione nititur, & sicuti cessionarii, ita & praecipue cedentis consensum praesupponit, nec eo inuito aut ignorante locum inuenit, licet etiam forsitan debitor cessus consentiat. Haec autem per legis dispositionem, ut fieri debeat, iniuncta, non coercionem solum admittit cedentis, sed & eo inuito ac in scio valet. Nititur enim legis dispositione, quae iuris exigendi ab altero cedenti, tanquam creditori, competentis translationem in tertium, propter cessantem interesse cedentis, dispositiue praescribit, velut aut

Vel voluntaria  
& conuentionalis, vel necessaria & legalis.

no-

(9) in cess. act. cap. 1. n. 55.



nolit cedens. Nam licet cessio in se considerata, tanquam species voluntariae amissionis, quae voluntate ipsius amittentis fit, liberam cedentis voluntatem praesupponat, nec leges in regula dominum, rerum suarum moderatorem ac arbitrum, ad alienandum compellant, tamen saepe numero propter concurrentem aequitatem, a lege positiva agnitam, creditori iniungunt, quod iura sua contra alterum, ut a suo aliquid praestet, exigendi sibi competentia, omni prioris creditoris interesse cessante, in tertium transferat. \*) Sic enim aequum est, & naturae beneficiorum legis conforme, ut, licet nemini inuito beneficia obtrudantur, tamen is, qui commodum ex legis dispositione gaudere cupit, incommodum quoque suscipiat cum eiusmodi beneficio legis ex praescripto connexum. Debitor itaque, qui, in statu insolventiae constitutus, poenas morosi & bonis lapsi debitoris declinare studet, & hinc ad flebile cessionis beneficium, sicuti in L. 7. & 8. C. qui bon. ced. poss. vocatur, refugium petit, quod & omnia sua bona, hinc quoque exigendi id, quod alter illi ex suo praestare tenetur, in creditores ita, ut iam proprio nomine exigere possint, transferat, ergo actiones sibi contra tertium competentes cedat, inuitus non solum compellitur, sed potius hoc ius exigendi ipso iure ita in creditores translatum iudicatur, ut quoque hanc reuelata, & in specificatione bonorum a credario ad exhibenda non confessa nomina, suo nomine exigere valeant. (1) Similis quodammodo

(1) L. 1. & 4. C. qui bon. ced. poss. Mecklenb. H. und P. G. D. part. 2. tit. 45. §. 5. & 6. Meckl. G. E. D. part. 2. tit. 46. §. 5. & 6.



aequitatis ratio adest in casu, quo rei cuiusdam hucusque legitimus possessor, r. soluto suo iure reuocabili atque temporali, & actiones huius rei intuitu durante sua possessione adquisitas, ne locupletior maneat cum alterius damno, cum restitutione ipsius rei, etiam inuitus cedere per leges compellitur, quae in L. 37. pr. D. ad SCT. Trebell. & L. 40. §. 2. D. de heredit. petit. expresse agnoscitur. Immo in genere, quoties actio quaedam, per satisfactionem plenam creditori praestitam, in illius persona exstinguitur, illi vero, qui satisfecit, propter regressum ad debitorem proficit, leges propter aequitatis regulam, quod tibi non nocet, mihi vero prodest, ad id poteris compelli (2) creditori necessitatem cedendi imponunt. Sic enim non solum posterior creditor hypothecarius, facta ante motum concursum oblatione & exsolutione eius, quod priori creditori debetur, ius offerendi inuito etiam creditore priore exercet, L. 11. §. ult. D. qui potior. in pignor. L. 3. C. de his, qui in loc. prior. creditor. eumque hinc cogere non solum ad cedendum potest, sed ipso potius iure, ita vt nec speciali pacto, vel cessione opus sit, ius prioritatis, tanquam cessum ex legis dispositione acquirat. (3) Fideiussori ad solvendum parato eodem modo, vt illi maneat electio, num actione mandati, vel negotiorum gestorum personali, an ex iure cesso, quod ratione hypothecae connexae pinguius, immo & non-

B

num-

- (2) Conf. Mantzel in diff. ad regulam: quod tibi non nocet.  
 (3) Brunnem. de cess. act. cap. 4. n. 92. Carpzov. P. 1. Conf. 28. def. 23. seq. Berger in oeconomia iur. L. 2. tit. 5. §. 15. n. 5.



numquam vnicum & necessarium remedium suppeditat, contra debitorem experiri velit, ius creditorem etiam inuitum cogendi ad cedendas actiones, contra debitorem principale competentes, concedit, L. 13. D. de fideiuss. ita vt fideiussor actionibus nondum cessis ad soluendum nec quoque teneatur. (4) Eodem modo & pignus ex dotali pecunia liberatum pignori est mulieri, eiusque heredibus, etiam citra cessionem vel conventionem. (5) Immo in genere, vbi lex soluenti ius successionis in pignus tribuit, soluens creditori etiam sine cessione, in iura ipsius succedit. (6) Sunt tamen omnibus in hisce, & similibus casibus determinata cessionem etiam ab inuito exigendi iura, & obligationes eam praestandi, quia ex ipsa legis dispositione, absque facto obligatorio creditoris cedentis interueniente, obtinent, iura immediata, & immediatae obligationes, quae itaque & ex natura immediatarum obligationum, & iurium immediatorum diiudicari debent. Hinc & cessiones illae necessariae non legem solum specialem dispositiue hac in re definientem requirunt, sed & casum in lege specificè determinatum semper praesupponunt, absque quibus requisitis concurrentibus numquam locum inueniunt, aut inuenire possunt.

\*) Nec obstat, quod alienatio non nisi a domino valide fieri possit. Ipsa enim & hypothecae constitutio liberam alias con-

(4) conf. Heinecc. in elem. iur. civil. secundum ord. instit. tit. de fideiuss. §. 886. in not.

(5) Mev. P. 4. dec. 215.

(6) Mev. P. 4. dec. 214.



constituentis voluntatem praesupponit. Sed tamen dantur tacitae & legales hypothecae, quae infcio quoque & inuito debitore in sola legis dispositione se fundant, & ipso iure obtinent.

## §. 4.

Romani formularia iurisprudentia, & modis <sup>Vel ex-</sup>peragendi negotia ciuilia solemnibus adfueti (1) & in <sup>pressa vel</sup>cessione semper formulam requirebant solemnem, ac <sup>tacita.</sup>ritus legali modo adhibitos, absque quibus nullam cessione, qua tali, efficacem vim in foro tribuebant externo. Potius deficiente hac solemnitate actionem cessam adhuc adnumerabant bonis cedentis, vnde & cessiones in iure originem trahebant, sicuti rerum corporalium, ita & rerum incorporalium, ergo & actio-num contra alterum competentium, & hypothecarum ac pignoris iuris, quae testante Vlpiano (2) locum inueniebant. \*) Vt alia taceam discrimina, inprimis in romanorum foro quoad actiones, a cessionario instituendas, haecce distinctio inter cessionem solemnem, atque simpliciter factam, suum producebat, atque exferebat effectum. Solemni enim facta cessione, ipso iure dominium vel quasi cessae actionis, seu, vt clarius loquar, ipsum ius agendi in cessionarium pleno transibat iure, ita vt proprio nomine, & directo iam ageret cessionarius. Quae omnia secus sese habebant in cessione simplici, pacto aut conuentione solummodo inita, quae ad instar simplicis considerabatur man-

B 2

dati,

- (1) Conf. Heinecc. in pereleganti orat. de formul. romanorum iurisprudentia.  
 (2) in fragment. tit. 19. §. 9. 10. & 11.



dati, ita vt cessionarius non proprio, sed cedentis potius nomine experiri, & per productionem mandati ad acta sese legitimare obligatus esset. Non autem solum vtilis actiones a Diuo Pio L. 16. pr. D. de pact. L. 1. C. de hered. vel act. vend. aliisque imperatoribus, L. 5. 7. & 8. C. eod. L. 1. & 2. C. de obl. & act. introductae, vt verbis vtar Schaumburgii (3) hisce subtilitatibus derogarunt, sed plane eas non admittit potius qualitas & conditio fori hodierni, atque analogia iuris, quo hodie vtimur in germania. (4) Ignoramus formulas illas conceptas celebrandis negotiis iuridicis consuetas, non requirimus, ad minimum in foro iuris communis, solemnitates in conventionibus, ac translationibus iurium necessarias: & secundum notissimam paroemiam, ein Wort ein Wort, ein Mann ein Mann, pacta per se plene atque efficaciter manent obligatoria, absque rituum obseruatione. Hinc & cessiones sola, valida si modo sit, conventionem valide atque efficaciter fiunt, modo constet de seria voluntate creditoris cedentis, vt in posterum cessionarius proprio nomine exigere valeat, & cessionarii acceptatione hac pari intentione facta. \*\*) Hinc tam in scriptis, quam ore tenus, tam per actum inter viuos, quam vltima voluntate, pleno cum effectu fieri possunt, adeo, vt cessante actione principali, cessum etiam praesumatur accessorium, quod rem principalem sequitur. (5) Non itaque

(3) in comp. digestor. tit. de hered. vel act. vend. §. 10.

(4) Schilter. exerc. 30. §. 64. add. Zollius in diss. de non vsu action. vtil.

(5) Brunnem. de cess. act. cap. 1. n. 112.



que consensu solummodo expresso, & specifica desuper inita conventionione fit cessio, sed & nutu, & factis aliis concludentibus, quibus tacita cedentis voluntas certo declaratur, exindeque colligi potest. (6) Vnde nova oritur distinctio inter cessionem *expressam*, quae expresso tam cedentis, quam cessionarii consensu, verbis aut litteris declarato peragitur; & *tacitam*, in qua quidem nullus cedentis consensus expressus, verbis aut litteris declaratus, interuenit, sed tamen voluntas eius ex factis concludentibus ipsius cedentis merito & cum ratione colligitur. Quenam autem hic dici merentur facta concludentia ad colligendum tacitum consensum, ex regulis generalioribus de tacita voluntate diiudicandum manet obuiis in speciebus, & semper sufficit factum cedentis, in quo nulla alia ad agendum mouens ratio doceri potest, nisi adesset intentio cessionis. Si quis v. c. conuenit cum creditore suo, de solutione a debitore praestanda, & tunc creditori tradit chirographum debitoris, vel creditori agenti contra debitorem actu quodam in lite assistit, & q. s. r. \*\*\*)

\*) Digna sunt verba ipsius Vlpiani l. c. quae cum Godofredi commentatione hic verbotenus adlegendur. *In iure cessio, inquit, quoque communis alienatio est, & mancipi rerum, & nec mancipi, quae fit per tres personas, in iure cedentes, vindicantes, & addicentes. In iure cedit dominus: Vindicat is, cui ceditur: addiciti praetor. In iure cedi res etiam incorporales possunt, veluti ususfructus, & hereditas, & tutela legitima, & libertas.* Godo-

B 3

do-

(6) Brunnem. l. c. Mev. P. 4. dec. 214. P. 6. dec. 361. P. 8. dec. 440.





dofredus autem in not. 29, addit: *Cessio in iure, seu praesente praetore ita fit. Is, cui res ceditur, rem tenens, ita vindicat: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO: Ab his praetor interrogat cedentem: AN CONTRAVINDICES: vel: A. F. A. ANNE FLAS AVCTOR: Est enim ita in notis ad Probum: A. T. D. Q. C. V. id est: ANNE TV DICIS, QVI CONTRA VINDICAVERIS: Quo negante, vel tacente, praetor ei, qui vindicasset, rem addicebat, idque legis actio vocabatur. Formula addicendi talis esse potuit: Q. N. H. E. H. P. E. V. A. id est: QVANDO NEGAS, HVNC EGO HOMINEM PRAESENTI, ET VINDICANTI ADDICO: Potuit etiam ita concipi: Q. N. A. N. N. H. E. H. P. E. V. A. id est: QVANDO NEQVE AIS, NEQVE NEGAS, HVNC EGO HOMINEM PETENTI, ET VINDICANTI ADDICO.*

\*\*) Sufficiant itaque, monente iam Brunnem. l. c. cap. 1. n. 112. verba quaelibet aequipollentia: *do, cedo, concedo, mando, praesto, exhibeo, transfero,* & similia dispositiue prolata. Minime tamen gentium nego casus, ubi aliquis contra debitorem non, nisi mandato alterius, adhuc hodie agere, hinc eius nomine, non autem proprio, experiri, ergo & productione mandati ad acta se, suamque personam, non autem ad causam, legitimare tenetur. Sed tunc non *cessio* est. Potius *assignationis ad exigendum*, nomine venit, quoties *ius* id, quod alter nobis ex suo debet, *nostro nomine exigendi* in tertium transferimus. Et partim ea ratione, quod assignans illi, cui assignat, obligatus simpliciter & omni casu esse debeat; partim quod assignans per assignationem non liberetur, sed in nexu maneat, a *cessione* differt. Licet non possim non, quin affirmem, multos in applicatione legum romanarum ad casus in foro obuios hic saepenumero quadrata miscere rotundis. Id quod eo ipso iam fieri mihi persuasum habeo, quan-



quando iura cessionis ex natura mandati sola deducere sagunt.

\*\*\*) Plures adhuc sunt cessionum diuisiones, in solemnes v. c. ac minus solemnes, in publicas atque priuatas, iudiciales atque extrajudiciales, perfectas s. potius consummatas & imperfectas s. non consummatas, quas tamen, quia ad scopum mihi propositum non tendunt, hic non curo.

## §. 5.

Cessionem inscio, atque inuito debitore cesso, An & per valide fieri posse, ex rationibus sat praegnantibus & debito- aliunde iam notoriis, terse adfirmat L. 3. C. de hered. rem fieri vel act. vend. cuius itaque consensus, nec requisitio e- possit. ius praeuia, plane non requiritur. Licet non negem, melioris consilii causa denunciationem factae cessionis debitori cesso fieri, immo & de eius consensu in cessionem faciendam laborandum esse cessionario. Facta enim a cedente, aut cessionario denunciatio debitori cesso facultatem adimit, cedenti solutionem praestandi, quam sola scientia aliunde proueniens non tollit, & consensus in cessionem a requisito debitore declaratus delegationem cum cessione coniungit, quae intuitu exceptionum cessionario a debitore opponendarum maximi ponderis esse potest. Sed quamuis consensu debitoris ad validitatem cessionis producendam opus non sit, alia tamen emergit quaestio, num & debitori liceat creditoris iura, praecipue cum pignoris nexu stipata, in tertium transferre, & an eiusmodi translatio, non quidem ab ipso creditore sed potius debitore, aut cum praescitu creditoris, aut inscio eo facta, valida sit, ius pignoris simul cum actione trans-



transferat, & cessionis nomine venire possit, ita vt, & in quantum, tertius ille, in quem factam esse a debitore translationem probatur, cessionarii nomine veniat, & iure cedentis utatur. Multis ac variis difficultatibus implicata non sine ratione videtur quaestio illa, quam itaque copiosius enucleandam, ac pertractandam, eo minus superuacaneum iudico labore, quo sciam, quaestionem hanc, nisi breviori tempore forsitan decisa sit, in foro argumentis pro & contra ventilatis disputatam esse. Quo facilius autem, quid velim, statim primo intuitu perspicui possit, casum fingere, a proposito non alienum videtur, sequentem. Caio pecuniam mutuo dat Titius, & in chirographo non generalem solummodo sibi constitui hypothecam, sed & loco pignoris specialis certum agrum antichretico iure in compensationem vsurarum sibi tradi, curat. Multorum annorum spatio praeterlapso mutuum repetit a debitore Titius, Sempronium adit debitor & vt summam ad Titio debitum soluendum necessariam sibi credat, vrget. Sempronius debitoris precibus sese conformare nullus dubitans, mutuum ei dat hanc pecuniae summam, additis tamen & iunctis expresse conditionibus, vt eam vertat in solutionem debiti a Titio accepti, & vt illi tam iure antichretico tradat fundum pignori antea Titio antichretico iure datum, quam chirographum in Titii nomen hac de sorte conceptum. Promissis suis, accepta pecunia, stat debitor Caius, & pecunia illa a Sempronio numerata non solum a Titio reluit & agrum oppignoratum & chirographum, sed & chirographum Titio antea datum  
in



in manus Sempronii tradit, & possessionem agri oppignorati in personam Sempronii antichretica eadem illa lege transfert, qui hanc possessionem bona fide per aliquot annos quiete continuat, absque tamen omni speciali cessionis instrumento a primo debitore Titio confecto & tradito. Post lapsum annorum debitor bonis cedit, & moto concursu creditorum quaestio oritur, an cesso a Titio iure ex concursu Sempronius suam petere posset pecuniam inter creditores hypothecarios, an potius ex tempore mutui Caio dati expectare debeat solutionem fortis, tanquam debiti nouiter contracti, cui tunc nexus pignoratitius iunctus erat. Adfirmo primam sententiam, & Sempronium tanquam cessionarium Titii considerandum ex Titii iure classificationem petere posse defendo, cuius tamen sententiae vltiorem probationem ex natura & qualitate cessionis eruere debeo.

## §. 6.

Quod, vt eo faciliori modo fieri possit, duae Qui hanc posibles species in proposito casu factae a debitore Ca- intentionis solutionis a se inuicem discerni debent. Aut enim intentionem prio- debitor Caius pecuniam a Sempronio adductis condi- ri credi- tionibus mutuo acceptam, priori creditori Titio solu- ri reuela- uens in ipso actu solutionis, & nondum facta reuolutione uit. praedii antichretice oppignorati, indicauit, se pecuniam exsoluendam ad reluendam hypothecam, & pignus antichreticum specialiter oppignoratum, a Sempronio ea condicione mutuam accepisse, vt non solum vertatur in exsolutionem aeris alieni Titio debiti, sed

C

quo-



quoque hypotheca, hoc cum debito connexa generalis, & pignus antichreticum speciale, in securitatem mutui dati transferatur in Sempronium: aut tacuit hac de re, nihilque de Sempronii mutuantis ad redditionem intentione creditori priori Titio reuelavit. Ponamus primam speciem, & aperte tunc primus creditor Titius, qui pecuniam eum in finem, iisque sub conditionibus a Sempronio mutuatae scienter accipit, atque chirographum reddit debitori, & fundum antichretice loco pignoris hactenus possessum restituit illi soluenti, factum committit, quod non commississet, nisi animus & intentio eius fuisset, pro accepta hac pecunia soluta & ius ex chirographo hypotheca munito, & pignore speciali antichretico, hactenus sibi competens, eo animo debitori restituere, ut transferre posset, ius exinde profluens exigendi, cum nexu hypothecario & pignoratitio, in Sempronium, qui hac sub conditione debitori pecuniam exsoluendam, tanquam mandatario suo dedit. Hinc de tacita voluntate prioris creditoris, ad transferendum ius, sibi competens contra debitorem, in Sempronium constat, qui, ex ratione, quod tacite quoque fieri possit cessio a creditore per facta concludentia (§. 4.) & tacitam hic quoque facit cessionem, quae eundem cum expressa producit effectum, hinc quoque Sempronium legitimum constituit cessionarium, qui moto iam concursu in locum prioris creditoris hypothecarii Titii, & eius iura praelationis, absque omni dubio transit, & ex eius pignoratitio iure cesso in classificationis sententia in eodem numero percipientium collocandus manet, quo Titius cedens



vocandus fuisset. argumento L. 23. D. de hered. vel a&.  
vend. & L. fin. C. de priuil. fisc. (1) \*)

\*) Dissentire hoc in casu forsitan videretur Mevius l. c. quando non solum, quod solutio ab ipso cessionario facta sit cedenti, sed &, quod propter dispositionem L. 3. C. de priuil. fisc. creditor ipse iura sua soluenti cedat, requirit. Nec negare cupio argumento L. 3. C. adl. primo intuitu ob stare posse, in qua lege, nisi cessio facta sit, soluenti solummodo actio personalis conceditur contra debitorem, sed salua res erit. Ipsa Mevii subsequencia mox verba: *quod non modo expressa, & solemnii cessione fit, sed etiam tacite per tales actus, qui indicant voluntatem cedendi, aut non aliter solvendi, quam cum conditione successionis*: eum magis consentientem, quam dissentientem sistunt, inprimis, quia simul provocat ad L. 1. C. de his qui in prior. cred. quippe quae expresse disponit, quod in locum hypothecarii creditoris succedant, *qui sub hoc pacto pecuniam dant, & sub hoc pacto credunt, ut idem pignus eis obligetur, & in locum eius succedant*. Et reuera idem quoad effectum translationis manet, an tertius immediate ipsi creditori priori hac sub conditione soluat pecuniam retentionis, & ab eo immediate recipiat pignus, an per debitorem intervenientem, tanquam mandatarium suum, qui quicquid hac solutione acquirit ius, non sibi, sed suo mandanti acquirit.

## §. 7.

Ponamus autem & alteram speciem, & quod Aut non debitor Caius pecuniam ad exsolvendum Titio aes alienae receclavit. num, & reluendum pignus dictis sub conditionibus a Sempronio mutuata accipiens, solvat quidem Titio, sed hisce de circumstantiis nil plane indicaverit, simpli-

C 2

(1) Mev. P. 4. Dec. 214.



placiter potius reuolutionis pretium sub praetextu propriae pecuniae exfoluens. Adest tamen & tunc in Sempronio, ad reluendum pignus a Titio, mutuum dante per hypothesein in casu proposito adductam, intentio sibi conseruandi, absque omni nouandi animo, ius hypothecarium & pignoratitium, antea iam a debitore creditori primo, Titio, constitutum, cum omnibus suis annexis, siue, uti Icti loqui amant, cum omni causa, ergo & cum prioritatis iure ex antiquitate temporis. Ea conditione soluit, ea conditione expressa credit debitori. \*) Hinc per verba iam generaliora L. i. C. de his qui in prior. cred. illi ipso iure promittitur successio in omne, & ipsum pignoratitium ius primi creditoris. Sed & praeterea per solutionem pecuniae a Sempronio datae factam actio, & debiti & hypothecaria, in persona primi creditoris extinguitur, & tamen Sempronio, qui satisfecit, ut moto postea forsitan concursu fortem, ea conditione mutuo datam, ut reluitio fiat, & successio in pignus obtineat, securam habeat, atque praelationis iure prae aliis creditoribus percipiat, maxime propter regressum in debitorem interest, pignoris ius ex tempore, quo priori creditori constitutum est, saluum manere, quo praeferentiam in classificationis sententia obtineat. Eo autem in casu, consentiat primus creditor, aut non; cedit suum ius a debitore exigendi mutuum cum omni sua causa, & ergo pignore connexo, aut non cedit; sciat cuius pecunia solutio facta, aut non sciat, si modo ea intentione, ut ius pignoris transeat, actu facta sit; leges ipso iure constituunt ac praecipiant cessionem, propter omne



omne cedentis interesse plane cessans (§. 3.) hinc legalis tacita & necessaria obtinet cessio, quae per immediatam legis dispositionem, etiam inuito & inscio creditore primo, suam vim atque efficaciam eodem modo, ac si actu a primo creditore sciente & consentiente facta sit, exferit. Et quis itaque vnquam hisce praesuppositis requisitis negaret, Sempronium tanquam legitimum cessionarium Titii considerandum esse, qui itaque ex legis immediata dispositione in omnia iura cedentis, ergo & in ius praelationis antiquioris hypothecae & pignoris succedit, licet etiam nulla cessio ab ipso priori creditore actu & expresse facta sit, & licet quoque has condiciones a Sempronio in mutuo dato adiectas forsitan nesciuerit. \*\*)

\*) Non sine ratione verba: *sub hoc pacto credat*: ex L. adl. C. virgeo. Ad debitoris personam ea directa sunt, cui tertius pecuniã ad solutionem dans credit, non creditori. Nescio itaque, qua ratione Mev. P. 4. Dec. 214. hic differentiam quaerere possit in lege fundatam inter casus, ubi aliquis pecuniã debitori credit, ut ipsam soluat creditori pignoratitio, & ubi quis ipsimet creditori creditum soluit, ita, ut eo in casu creditor secundus non succedat in locum prioris, nisi expressa cessio a creditore facta sit, hoc autem in casu tacita sufficere possit cessio. Nil hac de distinctione in ipsa lege reperio. Et ratio legis, quia secundus *sub hoc pacto credidit*, eadem manet, solutio haec conditionata sit immediate ipsi creditori facta, an mediate per debitorem. Accedit argument. L. 3. C. eod. ubi & verba: *quam emisse te dicis, ita ut pretium perueniret ad priores creditores*: magis iterum quadrat ad casum, in quo debitori facta haec conditionalis solutio, qui iterum creditoribus exsoluit, quam ad alterum, ubi emtor creditoribus



immediate soluerit, si modo probari possit actualis veffio in exsolutionem priorum creditorum. Immo multo magis adhuc Mevio expresse obstat L. 24. §. vlt. D. de reb. auct. iud. possidend.

\*\*\*) Digna hic iudico verba Mevii P. 4. Dec. 214. n. 4. quae illustrationis causa hic adlegantur, quando scribit: *Quemadmodum lex domina rerum L. 2. D. de legib. sine traditione potest transferre dominia, & tacita inducere pignora, ita sine dubio pro cessione esse valet, ubi ius successionis dat.*

## §. 8.

Id quod  
probat  
L. 12. §. 8.  
D. qui pot.  
in pign.

Vti supra iam in §. 3. annotatum dedi, in eiusmodi necessariis & legalibus cessionibus propter naturam immediati iuris semper specialis lex positiua adesse debet, dispositiue hac de re definiens, antequam legalis obtineat cefio etiam absque speciali conuentione. Obiiciunt hunc defectum legis specialis hac de re disponentis vtplurimum illi, qui hic inter creditorem pignus antiquum reluentem cum sua pecunia, & extraneum haftenus non creditorem cum Mevio (1) distinguunt, & totum titulum codicis: de his qui in prior. cred. de creditoribus solum explicant, tertium autem non creditorem hic exclusum contendunt. Sed, vt taceam, an haec interpretatio legitima fit, \*) & alia ratione salua res erit, ac praemissis hisce generalioribus claram legem addere possum, quae expressis atque indubitatis verbis casum determinat, de quo loquor, quae ergo in decidenda hac quaestione pro cardinali assumenda manet. Prouoco ad L. 12. §. 8. D. qui potior. in pign. quae sequenti modo verbotenus disponit,

(1) Mev. P. 6. Dec. 360. n. 1.



nit. *A Titio mutuatus, pactus est cum illo, VT EI PRAE-  
 DIUM SVVM PIGNORI HYPOTHECAE ESSET: deinde mu-  
 tuatus est pecuniam a Macuo, & pactus est cum eo, VT, SI  
 TITIO DESIERIT PRAEDIUM TENERI, EI TENEATVR:  
 tertius deinde aliquis dat mutuam pecuniam (tibi), VT TI-  
 TIO SOLVERES, & paciscitur (tecum), VT IDEM PRAE-  
 DIUM EI PIGNORI HYPOTHECAEVE SIT, ET LOCVM  
 EIVS SVBEAT: Num hic medius tertio potior est, qui pa-  
 ctus est, vt, Titio soluta pecunia, impleatur conditio, &  
 tertius de sua negligentia queri debeat? Sed tamen & hic  
 tertius creditor secundo praefereendus est. Qua lege nil di-  
 stinctius vnquam inueniri potest, \*\*) & Marcianus  
 ICTus in verbis finalibus, quae decisionem continent,  
 & legalem dispositionem, expresse definit, quod ter-  
 tius ille, qui ea conditione pecuniam soluit, vt primi &  
 exsoluti creditoris pignus & hypotheca in eodem nexu  
 sibi maneat, succedere debeat in locum prioris credi-  
 toris pignoratitii cum iure praelationis, licet de ces-  
 sione ab ipso creditore primo facta ex lege non appa-  
 reat, nec etiam praesupponi atque tacite subintelligi  
 possit ea ex ratione, quia in casu a ICTo supposito ter-  
 tius ille, cuius pecunia soluitur, non cum creditore,  
 sed: tecum: i. e. vti tota connexio docet, cum debitore  
 pactus erat: *Vt idem praedium ei pignori hypothecaeue sit,  
 & locum eius subeat.* Rationem quidem dubitandi sibi  
 format ICTus in verbis antecedentibus, quod tamen se-  
 cundus creditor, propter impletam conditionem suae  
 secundo loco constitutae hypothecae adiectam, dum  
 Titio primo creditori per solutionem factam, praedium  
 teneri deserit iam etiam promissum praestandum sit, vt  
 ei,*



ei, secundo scilicet creditori, Maeuio, *teneatur*, praecipue quia tertio, pecuniam ad exsoluendum primum creditorem, Titium, debitori soluenti, & cum solo debitore, non autem cum creditore, paciscenti, negligentia imputari posset, quod non diligentius inquisiisset in conditionem rei sibi oppignorandae, hinc *de sua negligentia queri debeat*. Sed tamen, non obstante hac ratione dubitandi, ea ex ratione, *quia tertius*, pecuniam soluens, *tecum* cum debitore, *pactus est*, eaque intentione ergo dedit pecuniam Titio solvendam, *ut locum eius subeat*, & *idem praedium sibi pignori hypothecaeue esset*, definit, tertium illum secundo creditori praefendum esse, quia in locum prioris succedit, hinc cessa illi sint iura primi creditoris, non quidem per conventionalem cessionem, sed ipso iure, si modo casus in lege determinatus adsit, & conditio expresse tam mutuo adiecta, quam versio in creditum prioris actu subsecuta.

\*) Confundunt, qui hanc sententiam defendere satagunt, ex meo quali iudicio ius offerendi cum coactione creditoris anterioris ad acceptandam pecuniam a posteriori creditore oblatam, & remittendum ius pignoris, in L. 5. C. qui potior. in pign. & L. 11. §. ult. D. eod. fundatum, cum legali cessione, quam tertius, extraneus quoque, qui sub hac conditione soluit, exigere quidem, si creditor acceptet solutionem, non autem creditorem inuitum ad accipiendam hanc oblatam pecuniam cogere potest, si forsitan primus creditor creditum non recipere velit, & iustam rationem denegandi exsolutionem adlegare valeat.

\*\*) Miror hinc modum explicandi hanc legem Schaumburgii in compendio Digestor. tit. qui potior. in pignor. §. 7. qui ad pro-



probandam sententiam, quod chirographarius creditor iure offerendi non vtatur, sed solus hypothecarius, nisi prior creditor consentiat, ad hanc L. 12. §. 7. D. qui potior. in pignor. & L. 21. C. de pignor. prouocat. Non nego quidem thesin, ex alia tamen, & plane diuersa ratione deducendam, quod chirographariis creditoribus ius offerendi inuito creditore hypothecario competere non possit. Sed nec L. 21. C. adl. quae exteris, i. e. non creditoribus, debito soluto res obligatas liberantibus, datum petere, seu pecuniam solutam actione personali a debitore repetere concedit, quod autem hac liberatione dominium adipisci non possint, disponit, hoc probat. Quippe cuius ratio ex L. 1. C. de his, qui in prior. creditor. eiusque verbis: *Non omnino in locum hypothecarii creditoris succedunt hi, quorum pecunia ad creditorem transit*: enucleanda & deducenda mihi videtur, & non de creditoribus chirographariis, sed potius exteris, qui haecenus extra omnem nexum cum debitore sunt, loquitur. Nec plane in L. 12. §. 8. D. adl. hac de quaestione sermo est. Offert quidem tertius, cui in d. L. successio in locum primi creditoris conceditur praefecundo creditore, pecuniam primo creditori, sed non inuito, atque cum coactione ad accipiendum, potius voluntario per debitorem acceptanti, nec simpliciter & solum chirographarius iam creditor hic supponitur, sed potius de aliquo tertio, hinc plane hucusque non creditore, cum debitore nunc pacifcente, loquitur lex.

## §. 9.

Multa tamen, confiteor, contra hanc, rationibus ac legibus a me haecenus stabilitam sententiam Dubia mouentur, & vterius moueri possunt dubia, quae referuntur dissentientium. mouenda manent, antequam modum probandi hanc cessionem legalem exponam. Vrgent dissentientes primo naturam atque qualitatem cessionis in genere, quae





quae tanquam modus amittendi iura voluntarius, & quidem talis, qui voluntate amittentis fit, non nisi voluntate & consensu ipsius creditoris cedentis locum inuenit. Addunt, quod cessio facti fit, hinc probari debeat, quae probatio non, nisi instrumento, cessionis fieri possit, quale instrumentum semper consensum illius, qui in eo loquitur, praesupponit. Hinc & consentiens, & propria sua voluntate transferens fit creditor, cuius in locum alter succedere vult, oportet. Cum qua sententia coincidunt L. 21. C. de pignor. & L. 3. C. de priuil. fisc. in qua vtraque lege secundo creditori, pecuniam debitori mutuam danti ad soluendum prius debitum pignoratitium, actio tantum personalis conceditur, minime vero hypothecaria, nisi cessionem sibi a creditore fieri curauerit. Immo & ad argumentum a contrario ex L. f. C. de priuil. fisc. prouocant contra sentientes, quae lex, illi, qui fisco reliqua debitoris soluit, tunc demum priuilegia fisci tribuit, si competens iudex illi adscripserit ius fisci, & in eum transulerit. Neminem quippe petere posse vt suum, nisi suum esse antea doceat, & ex alieno debito agenti, semper obstare exceptionem legitimationis. (1)

## §. 10.

Quae re-  
sistantur. Si autem modo omnia rite perpendantur, quae hoc de casu proposito supra in §. 3. 7. & 8. iam adducta inueniuntur, facili negotio omnia haec obmota per se corruunt. Concedo cessionem esse speciem voluntariae

(1) Mev. P. 4. Dec. 126. n. 2. & 5.



riae alienationis, quae in regula ipsius amittentis voluntate fit. Sed & idem obtinet in pignoris ac hypothecae constitutione, quo tamen principio non obstante dantur hypothecae legales tacitae, ex immediata legis dispositione absque consensu quoque debitoris originem trahentes. Eodem modo & in legali tacita cessione res sese habet, ubi ob identitatem rationis idem illud argumentum locum inuenire debet, ita, vt testante Mevio (1) a pignore legali & tacito ad cessionem legalem & tacitam eatenus valeat consequentia. Erroneum caeteroquin est praesuppositum, vti inferius ex §. 16. patebit, quod cessio non, nisi ex instrumento cessionis probari possit. Facti esse transactionem iuris in cessionarium, & hinc probatione indigere, lubens concedo. Sed sicuti haec translatio conventionalis per testes quoque, immo coniecturis & praesumptionibus fundatis doceri potest, quod actu facta sit, licet instrumentum speciale ea de re confectum non existat; ita idem & obtinet in casu legalis cessionis adsumtae, in qua probatio, quod in specie decidenda obuia adsit casus in lege determinatus secundum omnes suas determinationes, sufficit quoque ad probandam validam translationem iuris primo creditori competentis in cessionarium per legis immediatam dispositionem actu factam. Et argumentum ab hypotheca legali iterum hic inuenit applicationem, quae, si modo casus in lege determinatus adsit, etiam absque instrumento desuper confecto subsistit, ergo & cessio.

D 2

Nec

(1) Mev. P. 4. Dec. 214. n. 3. &amp; 4.





Nec obstant leges in contrarium adlegatee, quippe quae omnes, nisi contradictionem cum L. i. & 3. C. de his, qui in prior. cred. & L. 12. §. 8. D. qui potior. in pign. & hinc antinomiam admittere velis, explicari & debent & possunt de eo, qui pecuniam suam mutuo dat, & de versione eius ad exfoluendum aliud debitum pignoratitium aut plane non curat, aut si etiam curasset, tamen non sub ea conditione mutuam dedit, vt locum prioris hypothecarii, cuius in debiti solutionem versa est pecunia, subeat, qui itaque suae propriae negligentiae imputare, siue de sua negligentia queri debet, quando non, nisi personali actione repetere possit, id quod dedit. Immo nec alienum petit, quod antea suum probare debeat, is, qui sub ea expressa conditione pecuniam credidit, quod facta versione in exsolutionem debiti prioris pignoratitii in locum prioris creditoris hypothecarii subeat, & tunc ex iure pignoratitio prioris creditoris agit, quippe quod ius leges ipsae iam immediate ad suum, suaeque bona transtulerunt, si modo de solutione actu subsequuta constet.

## §. II.

Uteriora  
proponuntur  
dubia.

Pergunt dissentientes, ius pignoris primo creditori semel a debitore concessum in dominio esse creditoris primi; qui itaque solus, non autem debitor, de eo disponere valet, & debitori facultatem hoc ius, tanquam rem alienam, in alterum transferendi plane non competere. Iam autem in casu proposito, quando cum debitore, non autem primo creditore, secundus creditor hisce conditionibus de transferendo iure  
pi-



pignoris praeuia versione pecuniae mutuo datae in re-  
 lutionem paciscitur, & tunc non creditor primus, sed  
 debitor in scio creditore hoc modo reluit, & tam chi-  
 rographum hypothecae & pignoris constitutionem  
 continens, quam rem in specie oppignoratam tradit  
 illi, cuius pecunia reluitio facta, re accuratius confi-  
 derata, translationem non a primo creditore, sed ab  
 ipso potius debitore fieri, cuius dispositio, quia de re  
 aliena fit, ipso iure nulla manet, & hinc nec transla-  
 tionis nec cessionis effectum producere potest. Et li-  
 cet forsitan quis ad id respicere velit, quod primus  
 creditor, facta a debitore solutione, chirographum &  
 rem oppignoratam debitori restituendo, suo dominio  
 se abdicet, atque in debitorem omne ius suum retro  
 transferat, qui tunc receptam hanc rem oppignora-  
 tam cum iure pignoris connexo in alterum, valide  
 transferre iterum possit: tamen & hoc respectu obsta-  
 re notorium iuris principium, quod solutione primo  
 creditori facta omnis obligatio tollatur, hinc actio quo-  
 que priori creditori competens extinguatur, omne-  
 que ius pignoris & hypothecae iam actu sublatum fit,  
 quod itaque agendi & pignoris ius semel sublatum &  
 extinctum ulterius cedi nequit, & cessio postquam  
 solutum, valide fieri non potest: L. 76. D. de solut. L.  
 1. C. de contr. tut. iud. Hinc ad minimum tunc non  
 tanquam ipsum antiquum a creditore primo cessum  
 pignus, sed tanquam nouum, denuo ex eo tempore a  
 debitore constitutum considerandum esse, si quoque a  
 debitore concessum sit.



## §. 12.

Quae re-  
soluuntur

Quibus rite perpenfis, concedo quidem, ius primi creditoris, cui contra suam voluntatem, durante mutuo, auferri, atque in alterum transferri non potest. non autem in dominio perpetuo, absoluto & irreuocabili, sed temporali potius, hypothetico & reuocabili, ad securitatem scilicet solummodo sui crediti. Hinc si modo sortem cum vsuris plene solutam accipiat, atque acceptet primus creditor, omne fundamentum dominii, & omne interesse primi creditoris iam cessat, cui itaque vnum idemque est, & esse debet, an per solutionem ex propriis debitoris bonis extinguatur, an propter solutionem pecuniae mutuo debitori datae in alterum transferatur, cuius itaque, accepta semel solutione, contradicendi & impediendi ius simpliciter cessat. Concedo porro debitori quidem hac de actione, hocque de pignoris iure disponendi, ante factam & a primo creditore acceptam solutionem, nullum esse ius. Sed facta primo creditori, & ab eo acceptata solutione hoc ius ab ipso primo creditore in proposito casu in debitorem, & ab hoc iterum in tertium, cuius pecunia ea sub conditione in solutionem versa, denuo transfertur, cui translationi, vt valide fiat, nil obstat. Concedo facta iam solutione cessionem nulliter fieri per L. 76. D. de solut. non tamen tunc, quando solutio conditionate facta, quae per ipsam L. 76. cit. facultatem cedendi conseruat. Qualis conditionata solutio propter antecedens pactum eius, cuius pecunia soluitur, cum debitore initum, hoc in casu adest.

Nec



Nec obstat, quod forsitan debitor solvens hanc conditionem creditori primo non reuelauerit. Nam hoc in casu non de iure primi creditoris agitur, cuius omne interesse iam cessat, sed de iure debitoris, cuius ad intentionem hic solummodo respiciendum manet, quae autem semper, & eo magis hoc in casu ad id directa esse debet, dum alias tanquam mandatarius eius, cuius soluit pecuniam, dolose ageret. Et si etiam ad primi creditoris solutionem acceptantis intentionem, an ea conditionata fuerit, respicere velis, tamen rege-ro ex argumento L. 36. D. de fideiuss. *quod, licet actio, cum iure pignoris stipata, videatur extincta, hoc tamen non ita sit. Non enim creditor in solutum accipit, sed quodammodo nomen debitoris vendit, & ideo habet actionem, quia per immediatam legis dispositionem tenetur ad id ipsum, ut praestet actiones.* Haec enim Pauli Icti verba in L. adl. de creditore, cui a fideiussore solutio facta est, prolata, eodem modo & ad praesentem casum applicationem inueniunt. Nullo itaque modo de nouo hic constituitur pignus, sed a creditore in debitorem, tanquam mandatarium eius, cuius pecunia soluitur, & ab hoc in mandantem, transfertur idem ius, quod primus creditor habuit.

§. 13.

Obiiciunt denique vltimo loco sequentem maxime probabilem argumentandi modum. Sicuti em-tio venditio, licet per consensum perfecta sit, tamen ad id, vt ex vendito iure contra tertium agi possit, con-summationem translationis domini per traditionem re-qui-

Alia ad-huc dubia, quae si-mul refu-tantur.





quirit, ita & in cessione, quae quando pretio interueniente fit, speciem venditionis nominis constituit, licet quoque forsitan per pactum perfecta sit, consummatio requiritur per cessionem actu speciali subsecutam, antequam cessionarius ex iure cesso, & in se translato contra tertium agere valet, & ex alieno iure agendi ius tertio extraneo non est, nisi cesso actu subsecuta per declarationem ipsius cedentis. Inprimis quia & hic de iure subsequendum creditorum hypothecariorum agitur, qui facta primo creditori solutione ipso iure potiores fiunt, & hinc, quia translatio illa iuris pignoris primi creditoris in tertium, cuius pecunia soluta, & successio huius in locum primi creditoris, in eorum tendit praeiudicium, nisi forsitan ab ipso creditore primo ante solutionem cesso actu facta sit, contradicendi iure gaudent. Sed respondeam ipsissimis verbis Mevii, vbiq; ab eo legibus adlegatis corroboratis, quae omnia hic iam exhauriunt, qui P. 6. Dec. 361. praesupposito illo axiomate, *ex alieno iure sine cessione tertio non sit ius aut actio:* pergit: *Quod tamen fallit, cum destinata fuerit cesso, etsi non perfecta, si ratio quaedam accedit, cur perfici debeat, veluti necessaria sit, quod actus, nisi illa facta aut pro perfecta habita non potuerit subsistere, vel aequitas singularis exigit actionem vel ius pro cesso haberi, vel denique sic sine cuiusquam iniuria fieri potest.* Quocirca quando res alteri oppignorata fuerat data in solutum, cum ea conditione, quo accipienti prospectum esset contra euictionem, ut id, quod solutione reluebatur vicissim creditori, cui ista oppignorata erat, pignori esset, etiam hoc licet nondum constituto, nihilominus veluti cessum habebit.



bitur, tum quia alias actus dationis in solutum subsistere non poterat ob actionem hypothecariam, quae creditori manet; tum quia aequum ei vicissim prospici, ex cuius re vel pecunia satisfactum alteri: tum quia aliis creditoribus non nocetur, qui nec ante dationem quicquid iuris in re liberata habebant, nec postea, nisi creditori cui fuit res oppignorata satisfactum, habere poterant. Omnia haec fere ad casum a me propositum quoque quadrant. Sic enim aequitas eadem hic adest a lege expressa approbata, ut illi, qui sub hac conditione pecuniam soluendam dedit, cessum ius conferuatur, & hinc per leges necessaria quoque cessio. Et etiam sine cuiuscunque iniuria hic fieri potest. Si enim pecunia haec tertii non soluta, quam tamen per hypothesin non nisi sub hac conditione soluere voluit, nec res liberata fuisset a primo creditore, cui tunc posteriores quoque hypothecarii cedere debuissent. An itaque hic primus creditor, an tertius tanquam cessionarius eius in locum subiens, praeferratur posterioribus creditoribus, his vnum idemque esse debet, nilque in iure praelationis releuat.

## §. 14.

Cessio autem, sicuti conventionalis expressa, Cessio quia facti est, non praesumitur, sed probari debet, ita haec probari debet & in conuentionali tacita, & in legali, immo in hac vltima eo magis idem illud requiritur, quia vi dictorum in §. 3. eiusmodi legalis cessio casum semper in lege omnimodo determinatum praesupponit, quo deficiente locum non inuenit. Solis itaque ac nudis verbis cessionarii fidem eo in negotio minime habendam esse,

E

esse,



esse, per se iam patet, quia ex alieno iure nemini ius, & actio oritur, nisi cessio accesserit. Ut taceam, quod, si etiam de facta cessione praesumptio adsit, tamen nondum constet, an etiam cessio haec legalis legitimo modo, i. e. debitis ac in legibus stabilitis circumstantiis accedentibus, facta sit, dum constat, quod non fieri, aut non legitimo modo fieri, in iure idem sit. Quae probatio a cessionario peragenda, legitimationis ad causam nomine Ictis veniens, sicuti in genere tam necessaria, ut exceptio eius deficientis non in omni parte iudicii solum opponi possit, (1) sed & parte non petente a iudice ex officio supplenda maneat, (2) ita & in legali cessione idem illud inuenit applicationem. Sed quam ratione haec probatio in supposita legali cessione fieri possit, quaestio iam erit.

## §. 15.

Ad quam probationem multi speciale cessionis instrumentum requirunt

Sunt, qui cessionem factam, praecipue in concursu creditorum, non alio modo, quam per speciale cessionis instrumentum probari posse, defendunt, hancque suam sententiam variis argumentis roborare laborant, qui igitur ad producendum eiusmodi instrumentum cessionis cessionarium, ut ad causam se legitimet, omni casu obligatum dicunt. (1) Quodnam principium, si verum esset, omnis tacita tam, quam legalis cessio utique corrueret, quippe quae utraque, pro-

(1) Coler. de proc. execut. P. 4. cap. 1. n. 79. Berlich. P. 1. conel. 84. n. 9. Carpzov. P. 1. C. 17. def. 33.

(2) Ludov. diss. de legit. ad caus. §. 10.

(1) DD. omnes vno fere ore.



propter deficientem legitimationem ad causam, tunc inutilis esset atque inefficax, necesse est. Praejudiciale hinc illam quaestionem ex principiis diiudicare debeo, antequam ulteriorem modum probandi eiusmodi tacitam, aut legalem cessionem proferam. Prouocant primo loco ad id, quod sicuti in genere, quoties actus quidam iuridicus suspectus sit, nuda contrahentium confessio, & hinc nec cedentis sola confessio sufficit, ita nec in concursu creditorum, vbi de praeferentia cessionarii in praedictum aliorum creditorum hypothecariorum agitur, nuda debitoris sufficiat confessio, sed potius singulis incumbat verificatio eorum, quae exiguntur, per instrumenta fide digna, qualia hic sunt instrumenta specialia cessionis, debito tempore & modo factae. (2) Contendunt porro, quod vi legis Anastasianae & Iustinianae in L. 22. & 23. C. mand. iustitia tituli, iustumque pretium ad validitatem requiratur cessionis, qui titulus absque speciali instrumento cessionis doceri eo minus possit, quia nec cessio indefinite facta probata ex eiusmodi instrumento, in quo titulus cessionis omissus per argument. L. 25 §. vlt. D. de probat. & cap. 14. X. de fid. instrum. sufficiat. (3) Addunt ulterius, nec solam productionem atque possessionem instrumenti super debito confecti, cessionario proficere ad cessionem probandam, dum semper incertum maneat, quonam modo, & an voluntate creditoris, debitum ipsum transferre cupientis, possessionem nactus sit

E 2

ces-

- (2) Mey. P. 7. dec. 134. n. 1. P. 8. dec. 236. n. 1. ibique cit. Faber. Brunnem. de cess. act. cap. 1. n. 12.  
 (3) Brunnem. l. c. n. 11. & 12. Leyf. spec. 201. med. 3. & 4.



cessionarius, nec ex traditione sola dominium transferri, nisi simul causa traditionis accesserit: L. 31. pr. D. de acqu. rer. dom. Immo possessio instrumentorum ne quidem ad legitimationem procuratoris, seu ad probationem mandati sufficiens, Ord. Cam. Imp. P. 1. tit. 21. §. 2. multo minus quod sufficiens esse possit ad legitimationem cessionarii, seu probationem cessionis, dicunt. (4) Tradunt porro nec per testes hanc fieri posse probationem, quia ad legitimationem referri debeat cessionis probatio, qualis in ipso litis ingressu necessaria. (5) Quibus omnibus denique ultimo loco iungitur, quod, imprimis in supposita legali cessione, nec iurisiurandi delatione probatio fieri possit variis ex rationibus, partim in persona cedentis, partim cessionarii fundatis.

## §. 16.

Sed abs-  
que ratio-  
ne.

Quia tamen per probationem in genere intelligimus actum iudicalem, quo competenti iudici de veritate facti dubii & controuersi fides fit, idque autem per argument. L. 3. §. 2. D. de testib. tam artificialiter, quam inartificialiter variis fieri potest modis non solum, sed & praeterea in modo probandi inartificiali qui per testes, documenta, ocularem inspectionem, propriam confessionem, & iuramenti delationem fit, instrumenta in sensu generali dicuntur, quia probationem instruunt, non sufficientem satis perspicio  
ra-

- (4) Mev. l. c. & P. 7. dec. 126. Schrader. de feud. P. 1. sect. 18. n. 157. seqq. Leyf. spec. cit. med. 3. & 4. Brunnem. l. c. cap. 5. n. 69. Lentze de cess. action. cap. 27. m. 9. n. 57.  
(5) Coler. de proc. execut. P. 2. cap. 2. n. 34. Lentze l. c. m. 10. n. 9.



rationem, quare in cessione probanda cessionario ea denegare velimus probandi remedia, quae in omnibus aliis negotiis admittimus. Immo a maiori ad minus potius hac in quaestione concludendum esse opinor, quod scilicet, cum in negotiis, ubi scriptura ad essentiam requiritur, amissio eiusmodi instrumenti non obstat probationi, si modo alia via existentia eius & tenor probetur (1) multo magis hoc in cessione obtinere debeat, & possit, ubi scriptura ad essentiam plane non spectat. Et, nisi me omnia fallunt, argumenta in contrarium adducta facili remoueri possunt negotio. Hoc quidem concedo, ad id, ut cessionarius in ius cedentis transiens executiue agat contra ipsum debitorem cessionum, absolute necessariam esse specialis instrumenti de cessione legitime & valide facta testantis productionem, quia ipse processus executiuus semper gaurentigiatum supponit instrumentum. (2) Sed quare & hoc applicare velimus ad processum ordinarium, aut summarium in concursu creditorum obtinentem, (3) inprimis quando de probanda cessione cessionario res sit, non cum ipso debitore, sed aliis potius concreditoribus, non perspicio rationem. Et quo modo de donatione aut venditione aliarum rerum, contra dubia liquidanti a concreditoribus mota, per ordinaria quaeruis probandi remedia iudici fides fieri potest, eodem modo & hoc de cessione nominis, tam titulo lucratiuo, quam oneroso, legitime & valide peracta fieri posse, nullum manet dubium. Cessio quando volun-

E 3

ta-

- (1) Stryck. in diff. de amiss. instrument.  
 (2) Schaumb. in princip. prax. Lib. 2. cap. 2. §. 1. 2. 3.  
 (3) Schaumb. l. c. Lib. 2. cap. 8. §. 3.



tariâ in scriptis facta per instrumentum cessionis probatur, nuda tamen, licet scripta, solius cedentis confessione nititur. Quare ergo nec verbali cedentis confessioni eadem fides habenda? Vnde & primum dubium in §. antec. motum facile, & per se corrui. Verum est, quod in actu iuridico suspecto nudae cessionis contrahentium fides non habenda sit, sed nego eiusmodi cessionem, ad quam cessionarius in concursu creditorum, ad obtinendum contra coeteros concreditores ius praelationis, prouocat, semper suspitione laborare. Multo minus hoc obtinet in casu tacitae legalis ac necessariae cessionis. In nullo eorum suspicio contra cedentem militat, & licet secundum determinationes in §. 3. propositas cedentis confessio, de accepta eo tempore solutione, sola non sufficiat ad probanda legitima requisita legalis cessionis, tamen, aliis probationibus accedentibus, quibus de existentia coeterorum requisitorum legalium iudici fides fit, adminiculat probationem hanc. Fundata quidem est sententia Mevii (4) quod in concursu creditorum nuda debitoris confessio in praeiudicium aliorum concreditorum fidem iudici facere non possit, sed potius singulis creditoribus incumbat verificatio eorum, quae exiguntur. Sed limitatur quoque ab ipso Mevio l. c. haec propositio, nisi & alia accedant fidei adminicula, tunc enim quod & absque documentis specialibus fide dignis, debitoris confessione probatio fieri possit, ipse concedit. \*) Ponamus itaque priorem creditorem in casu §. 6. proposito asserere, & iurato ad articulos probatorias a cessionario prolatis deponere solutionem debiti eo tem-

(4) Mev. P. VII. dec. 134. n. 1.



tempore sibi a debitore factam, quo cessionarius debitori suam pecuniam istis conditionibus datam esse contendit. Ponamus aliunde iam constare, obaerato debitori tunc temporis alia bona, vnde solutio haec fieri potuisset, non fuisse. Ponamus cessionarium ab eo tempore per aliquot annorum spatium absque omni contradictione & quiete possedisse fundum antea, priori creditori antichretice pro debito postea cesso oppignoratum, & ipsum chirographum in prioris creditoris nomen conceptum. Ponamus denique debitorem ipsum, inter testes a cessionario productum, in iurata iudiciali ad articulos probatoriales depositione adfirmare, & actualem solutionem pecuniae a cessionario mutuo datae, & veram versionem eius in exsolutionem primo creditori tunc temporis praestitam, & quod pecunia illa non nisi sub expressa conditione versionis in solutionem huius debiti, atque succesionis in locum & iura prioris creditoris, a cessionario mutuo data sit. An non tunc sufficienter constaret de legali actuali existentia omnium omnino determinationum, quas leges exigunt ad id, vt cessio legalis obtineat, & tertius soluens succedat in ius & locum primi creditoris, hinc alio concreditori praeferri debeat.

\*) Iisdem rationibus, ex quibus Leyserus in spec. 283. med. 19. & 20. & spec. 320. med. 8. & 9. confessionem mariti ad probandam illationem dotis admittit, si modo fortioribus coniecturis suffulta sit, & hic iudicium fieri potest.

## §. 17.

Concedo porro instrumentum, in quo caussa o- Id quod  
missa, & quod indeterminate loquitur per dispositio- vterius  
nem L. 25. §. vlt. D. de probat. & cap. 14. X. de fid. instru- deducitur  
ment.



ment. non sufficiens esse ad id, vt cessionarius ex eiusmodi instrumento executiue agere possit. Sed quaenam huius dispositionis in casu a me proposito sit applicatio, non possum perspicere. Cessionarius, qui ex legali, aut conventionali, sed tacita tamen, cessione in concursu creditorum ius praelationis propter antiquius pignus primo creditori, cuius in locum succedit, constitutum vrget, non ex instrumento indeterminato, atque in quo causa seu titulus deficit, agit. Probat potius se eo animo, vt vertetur pecunia in reuisionem pignoris primo creditori constituti, & vt ipse succedat in locum eius tanquam cedentis, pecuniam suam debitori mutuum dedisse; probat porro hanc versionem pecuniae in reuisionem eius pignoris actu subsecutam esse; probat se eo animo, eaque intentione restitutum debitori a primo creditore chirographum & pignus antichreticum, a debitore traditum accepisse: & quando haec omnia probata dedit, adest casus in lege determinatus, in quo ipsa lex huic cessionario concedit ius succedendi in omne ius pignoratitium primi creditoris, cum iure praelationis coniunctum. Haecce legalis dispositio illi iam loco sufficientis tituli est, quem itaque ulterius deducere non tenetur. Nec suspensiones hic obtinere possunt, quod hoc in casu aliquid contra leges Anastasianam & Iustinianeam, cessionis modum determinantes, admissum sit, quia primus creditor non remisisset pignoratitium suum ius, nisi integrum debitum solutum fuisset. Immo si forsan etiam in certo obuiio casu eiusmodi suspensiones existerent, tamen soli debitori cesso, cuius in fauorem haec leges constitutae sunt, non autem concreditori aut tertio, haec exceptio competit. (1) Et falsissimum in genere est principium, quod titulus cessionis non alio modo, quam per productionem specialis cessionis instrumenti probari possit. Nec solam possessionem chirographi, de debito ipso in nomen primi creditoris confecti, ad probandam hanc cessionem sufficientem esse, ipse contendo, sed quod, aliis requisitis huius legalis cessionis probatis adiuculantem producat praesumptionem, vtique cum ratione defendo,

(1) Mev. P. 6. dec. 229.



do, imprimis quando quieta & non contradicte possessio fundi antichretice oppignorati per annos a cessionario continuata accedit, quae hanc adminiculatuiam coniecturam eo fortiorem reddit. Quod autem & per testes denique cessionis probatio in genere, ergo & in hoc casu, valide fieri possit, satis iam probatum dedit Brunnemannus (2) cuius verba adlegasse sufficit, quando scribit: *Si agatur executivae instrumentis opus erit ad probationem, in processu ordinario autem admittuntur & testes, cum ordinaria probatio non sit ad instrumenta restricta. Nec officit ratio, quae in contrarium producitur. Nam etsi ad legitimationem pertinere probationem cessionis concedendum est, pertinet tamen ad legitimationem non personae, sed causae & iuris agendi. Quarum illa quidem debet fieri litis ingressu per documenta, non autem haec. Quoad posterius, nempe quando probari debeat, iam apparet ex dictis, quid sentiendum sit, nempe si ordinaria via agat cessionarius, tum etiam post litem contestatam sufficere iudici ostendere cessionem, & probare.*

§. 18.

Quaenam autem sint, aut esse possint sufficientes rationes in persona cedentis tam, quam cessionarii, & debitoris cessionis in specie confideratur, quare in hac probatione delatio iuramenti aut voluntarii aut necessarii, locum non inueniat, me non perspicere quoad iuramento posse lubens confiteor. Aut enim iuramentum tunc defertur a parte parti, aut a iudice. Si illud, tunc defertur iuramentum aut a cessionario, aut creditor cessionem impugnans. Illo in casu aut defertur cedenti, aut conceditori cessionem impugnanti, aut debitori cesso. Quando a cessionario defertur cedenti, aut haec delatio fit intuitu solutionis tunc temporis a debitore factae, aut intuitu conditionum a cessionario in ipsa mutui datione adiectarum. Quando delatio intuitu solutionis eo tempore a debitore factae fit, obflare quidem videtur, quod cedens hac in re non liti interfit, delatio autem voluntaria saltem inter partes litigantes locum habeat. Meliorem itaque ac eam viam hoc in casu a cessionario eligendam esse concedo, ut non defera-

F

rat

(2) de cess. act. cap. 5. §. 68.



rat cedenti iuramentum, sed potius eum testem producat probatoriales. Sed quid si forsitan cedens creditori cessionem hanc impugnanti in lite assistat? Tunc utique procederet & haec iuramenti delatio. Quando autem de probandis conditionibus mutuo a cessionario debitori ad pignus reluendum dato adiectis sermo erit, cessionarius cedentem inter testes probatoriales producere debet, imprimis quando de eo casu sermo est, de quo mentionem feci in §. 6. In altero enim casu in §. 7. proposito cedens per hypothesein ignorat, quid inter debitorem atque cessionarium ea de re actum sit. Delatio autem iuramenti hic cessat. Concreditori vero cessionem impugnanti iuramentum hac de re deferri non posse, per se patet, quippe qui nec factam solutionem, nec condiciones adiectas scire potest, nisi aliunde forsitan notitiam hisce de circumstantiis adquisisset. Quod enim tunc & huic iuramentum desuper deferri possit, nullus dubito. Quoad debitorem cessum porro quod attinet, an illi hisce de circumstantiis a cessionario iuramentum deferri possit? distinguendum manet, an ille se huic liti immisceat, & creditori cessionem impugnanti per denegationem harum circumstantiarum in concursu creditorum assistat, an non? Illo in casu nil obstat, quo minus iuramenti delatio fieri possit. Sin autem hoc; ad testimonium potius debitoris, inter testes probatoriales producti recurrere debet cessionarius. Creditor cessionem impugnans autem, quando cessionario defert iuramentum, cessionarius quidem videtur testis fieri in propria causa. Sed natura transactionis, quae huic delationi inest, omne dubium tollit. Casum autem, quo creditor cessionem impugnans cedenti, aut debitori cesso iuramentum deferret, mihi concipere non possum. Multo minus delatio iuramenti cessionario a iudice facta dubium habere potest. Poneamus enim casum, cuius mentionem supra feci in §. 6. & cessionarius, qui per legale testimonium tam cedentis, quam debitoris cessi, & solutionem creditori actu factam, seu versionem pecuniae in reclusionem pignoris, & quod pecuniam ad reluendum pignus ea intentione, ut non solum vertatur, sed & ius pri-



prioris creditoris in se transferatur, crediderit, immo quod primus creditor hoc ante restitutionem chirographi & pignoris antichretici debitori factam sciuerit, probat, omnia requisita legalia, si non plene, ad minimum plusquam semiplene probauit, quae per legis dispositionem ad hanc voluntariam tacitam cessionem requiruntur, ergo &, quod in supplementum iurare possit, nil obstat, si forsitan & quaedam momenta fidei testium obstarent. In altero autem casu in §.7. adducto, nil cessionario legali probandum manet, quam quod (a) pecunia eum in finem a se data actu in reuisionem pignoris a primo creditore per debitorem versa sit, & quod (b) sub lege versionis ac succissionis in locum prioris creditoris debitori a se mutuo data sit. Primum requisitum, quando cedens inter testes probatoriales a cessionario productus solutionem integri debiti tunc temporis, quo debitori & chirographum & rem antichretice oppignoratam restituit, sibi factam esse a debitore adfirmat, & debitoris quoque inter testes probatoriales producti testimonium, quod ipsa illa cessionarii pecunia haecce reuictio facta sit, accedit, semiplene ad minimum cessionarius iam probauit, ita ut haec probatio semiplena maior, immo fere plena iudicari debeat, quando praeterea circumstantiae in actis adductae adhuc docent penuriam debitoris, eo tempore omni pecunia ad reuisionem pignoris ex propriis bonis destituti. Ponamus ergo, & quaedam personae debitoris, eiusque testimonio obmoueri posse ad vacillandam fidem plenam, tunc tamen nihilominus iudex supplementorium iuramentum utique cessionario deferre potest ad perficiendam probationem. Quoad alterum membrum requisitorum forsitan maior videatur dubitandi ratio, an cessionarius admitti possit ad iuramentum supplementorium. Et concedo quidem debitorem cessum, qui attestatur condiciones has in mutuo ad reuisionem a cessionario dato adiectas, testimonio suo ad articulos probatoriales iurato deposito unicum solummodo testem esse, qui igitur non nisi semiplenam facit probationem, quando omni exceptione maior. Sed an ille omni exceptione maior, adhuc altioris indaginis manet. Prouocant, qui negant, ad de-





coctionem credarii, quae existimationem eius, & iura bonae famae, si non tollat, tamen maculet, atque infirmet. Regero autem, idque summo iure, non omnes credarios esse decoctores, & multos eorum, quorum infortubium concurrentes facit creditores, inprimis quando ad beneficium cessionis bonorum admittuntur, famam atque fidem omni numero saluam retinere. Etsi etiam hoc non sit, tamen decoctor non omnem amittit fidem, non plane inhabilis sit testis, sed solummodo suspectus, cuius itaque testimonium, si modo aliis circumstantiis adminiculetur, non simpliciter reiicitur, sed probationem facit, non quidem per se, tamen aliis adminiculis stipatam validam ac efficacem. Ponamus itaque credarium nullo plane in nexu esse cum cessionario, ita ut nulla sit fundata causa suspicionis, quod debitor cessus ex praelatione cessionarii in concursu c. editorum commodum speret; ponamus cessionarium alio respectu esse virum fide dignum, qui eo tempore, quo debitori ad reluendum a primo creditore pignus pecuniam credidit, iam seuit obaeratum statum debitoris, intuitu cuius itaque omnino praesumptio obtinet, quod suum iactare non voluerit; ponamus primum requisitum huius cessionis iam probatum esse; cur non tunc hisce circumstantiis concurrentibus admitti possit, & debeat, ad iuramentum suppletorium, nullus perspicio. Quo iuramento utroque in casu nequidem opus erit, quando utrumque requisitum testimonio aliarum personarum, qui hisce negotiis interfuerunt, iam corroboratum.

## §. 19.

Omnia haec in §. praec. deducta ex principiis generalioribus iurisprudentiae in materia de testibus, de probatione, & de iuramento, per se iam fluunt, ita ut ulteriori eorum adlegatione merito supersedere possim, quam & temporis spatium, & numerus plagellorum huic specimi academico destinatus prohibet, cuius itaque elaborati speciminis censuram beneuolentiae lectoris committo, id solummodo addens, quod primum meum sit, hinc iudicium eo respectu formatum expectat.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO  
IN DICASTERIO AVLICO PROVINCIALI  
IAM RECEPTO CAUSSARVM PATRONO  
FAVTORI ATQVE AMICO SVO DVLCISSIMO

S. ET O. D.  
P R A E S E S.

**A**nte sexcentium, & quod excurrit, honor mihi contingebat in arenam disputatoriam, & cathedram iuridicam Rostochiensis perducendi, posteaque praeuia clementissime a Serenissimo nostro Principe Regnante concessa licentia, nomine & mandato facultatis iuridicae concedendi summos in iure honores agnato *Tuo, Consulissimo Domino Thomas Georgio Spalding, iam Domino Hereditario in Kusschwitz*, ventilata ab eo summa cum laude d. 24. Nou. 1757. inaugurali dissertatione, qua *meditationes ex doctrina de fideiussoribus, tam secundum ius commune, quam provinciale, proponebantur*. Quae itaque unquam mihi iucundior esse possit suppeditata occasio, quam huic dignissimo tunc candidato, post praeterlapsum sexcentium, alterum iungere ex *praeclara & meritissima Spaldingorum gente*, aequae dignum Doctorandum in *Tua* mihi peramantissima persona, *Tibi*que aequales concedere honores. Eo iucundior, eoque magis grata mihi haec est sparta demandata, quo arctiori adfinitatis nexu cum *splendidissima Tua familia* me iunctum esse, mihi conceditur honor. Permittas *Amice suauissime*, hoc adfinis mihi nomen, qui, licet adfinitas in sensu iuridico nos quidem non intercedat, tamen, si vocem adfinis illi tribuere fas sit, qui pietate & obseruantia ad alterius summe aestimatae familiae fines accedit, magis quam adfinis sum, quod publice testor. Veneror enim *Illustrem atque Splendidissimum Tuum Patrem, Dominum Thomas Spalding, Serenissimo nostro Principi a consiliis aulicis, & celeberrimae primariae patrii nostri orbis consulem meritissimum*, patris loco: omnique pietatis & honoris cultu *prosequor, Venerandam & Spectabilissimae virtutis Matronam, dilectissimam matrem Tuam: quibus reuerendis felicissimis coniugibus Deus t. o. t. m. vitam*  
pro-



prosperitatis & commodi genere plenam ad feros vsque conseruare velit, opto, annos. Permittas mihi, *Doctissime Domine Doctorande*, peto, hanc publicam debitae meae obseruantiae tesseram, cui gratulationem simul iungo *hiscе venerandis parentibus* merito soluendam, de filio, qui indefesso seruore laudatissima maiorum exempla, in studiis colendis, morum elegantia, & meritis circa patriam, imitari conatur. Te hac in descriptione nomino, *Doctissime Domine Doctorande*. Profectus Tuos in studiis Gustrovi fundatos, in academia Kiloniensi magis cultos, denique hac in nostra Friedericiana continuatos non per promptissimas in examine nostro ordini datas responsiones, & solidas propositarum quaestionum resolutiones testatos fecisti solum, sed & hoc ipsum tuum specimen inaugurale elaboratum, & publico examini subiectum magis eos adhuc docet, immo strenua defensio adhuc pluribus docebit: Gratulor *Tibi* specimina haec, gratulor honores per receptionem publicam in numerum aduocatorum iam acceptos: Immo gratulor gradum academicum Doctoris, qui erastino die in compensationem feruoris, quo literis incubuisti, ex concluso ordinis Ictorum, clementissime annuente gratia *Serenissimi nostri Principis ac Nutritoris*, Te exspectat. Faxit summum numen, vt thiara doctoralis dignissime a Te promerita viam *Tibi* paret ad omnia exoptatissimae felicitatis genera, omniaque *Tibi* & in posterura ex votis cedant.

Adde hisce petitem. Velis, *Praenobilissime Domine Doctorande*, amice *suauissime*, amicitiam atque fauorem, quo haectenus me, meosque beneuole amplexus es, & in posterum conseruare, meque dignum iudicare, eui & in futurum amicitiae leges dicas. Ex mea quali quali parte me semper promptissimum, paratissimumque ad quaelibet officiorum genera *Tibi* praestanda habebis. Vale, amice *cordatissime* & *dilectissime*, & faue

Tui, Tuorumque  
nominis

Buetzov.  
d. 15. April.  
1765.

indefesso & perpetuo  
cultori  
H. BECKERO.




Buetero, Diss., 1761-71

VD 18



fb.







7

1765, 1

4

LOCO

SPECIMINIS INAVGVRALIS IVRIDICI  
MEDITATIONES:

DE

CESSIONE LEGALI,  
EAMQVE IN CONCVRSV  
CREDITORVM PROBANDI  
RATIONE:

SVMMO NVMINE CLEMENTISSIME ANNVENTE:  
EX. DECRETO AMPLISSIMI IVRECONSVLTORVM  
ORDINIS

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA  
QVAE BVETZOVII FLORET:

PRAESIDE

HERMANNO BECKER

LL. D. ET P. P. O. AD H. A. PRODECANO ET BRABEVTA:

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE CAPESSENDI HONORES  
ACADEMICOS:

ANNO MDCCLXV. DIE XVI. APRIL.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM PLACIDO EXAMINI  
DEFENDENDAS SVBMITTIT

IOACHIM HINRICH SPALDING,

GVSTROV. MECKLENB. IVR. VTR. CAND.

ET IN DICAST. AVL. QVOD GVSTROV. FLORET RECEPT. ADV. ORD.

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.



P. 487

